



Universitätsbibliothek Paderborn

Thesavrvs Sacrорvm Ritvvm, Sev Commentaria In Rvbricas Missalis Et Breviarii Romani

In quibus origo cuiusque Ritus, Causæ historicæ, vel mysticæ, ex maiorum ingenio, Theoria, Praxis, Obligatio, & exquisitus Vsus, additis opportunè Decretis omnibus S. Rituum Congregationis, quàm breuissimiè explicantur

Gavanti, Bartolommeo

Antverpiæ, 1646

De Communi Dedicationis Ecclesiæ. V.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40233

Lectiones secundi Nocturni pro Mart. non vidua additæ sunt ab Urba-no VIII.

5 Sanctæ mulieres, nec Virgines, nec Martyres, idem habent Officium cum præcedentibus non Virginibus; sed à Pio V. habent Capitula Hora-rum, *Mulierem fortē*, &c. tum Lectiones secundi Nocturni ex S. Am-bros. Additus est à Clemente VIII. Hymnus in Vesp. *Fortē virili pectore*, cum Antiph. ad *Magnificat* aptiore, tum in primis tum in secundis Vesp. addidit alia ad Laudes Urbanus VIII. Mirantur non pauci, quod in Officio dicatur adhuc, *Veni sponsa Christi*, mi-mirum in 3. Nocturno; sed ea sponte retenta est, recitanda noctu, ne sancta mulier, non virgo, reiecta videatur à nuptijs Christi spiritualibus, quibus & ipsa gaudet occultiore modo.

6 Si fuerint plures, nihil mutatur, præter Orationem; & si plures sint Vir-gines, habent propriam Antiphonam ad vtrasque Vesperas & Laudes pro Canticis Euangelicis: *Prudentes Vir-gines, &c.*

7 Oratio, *Deus, qui inter cetera pot-entia tua, &c.* haberetur in Sacram. Greg. item ibid. *Indulgentiam nobis Domine, &c.* quæ in concursu, seu in occurso duarum Virginum, seu Sanctorum mulierum, poterit dici ad varietatem, tacitis titulis *Virginis & Martyris.*

• De Communi Dedicationis
Ecclesiæ.

C A P. V.

Ecclæ materiali duo acci-dunt in ordine ad horas Ca-nonicas, nimirum Titulus, & Dedicatio; quæ differunt, & conueniunt in multis.

Titulus Ecclesiæ est, à quo denomi-natur Ecclesia, puta S. Salvatoris, sancti Bartholomæi, & similium: anti-quitus enim Ecclesiæ in Urbe per Ti-tulos distinguebatur. qua de re Baron. in *Not. Martyrolog.* 26. *Iuly fusiū.* Hoc loco breuiter accipe, Lector, Ti-tulum, & Ecclesiæ esse idem; eò quod in loco Ecclesiæ construenda fige-batur Crux in Titulum, Ord. Rom. cap. de *Ædific. Ecclesiæ.* Romæ item, ex an-tiqua loquendi consuetudine, non omnis Ecclesia Titulus dicebatur, sed tantum insigniores Ecclesiæ, quibus præficerentur Cardinales; vnde Ti-tulus Pastoris dicta est Ecclesia sanctæ Pudentianæ, in *Martyrol.* 20. *In-nij*, & Titulus Eudoxiæ Ecclesia sancti Petri ad Vincula. Euaristus autem diuisit in Urbe Titulos Presby-teris, hoc est, multiplicauit Ecclesiæ, quæ diætæ sunt Tituli, accepta nomen-clatura à rebus fiscalibus. Tituli namque impositione rem sibi Fiscus ven-dicabat, & Principi consecrabat: & erant hi Tituli vela quædam, quæ regiam repræsentabant potestatē cum imagine vel nomine Imperatoris; cor-tinæ regiæ, apud Ambr. *Epistola ad Marcellinam.* quamquam notaban-tur etiam litteris, ex August. in *Psal-mum 21. Exposit.* 2. quos Titulos vetuit imponi Ecclesiasticis rebus S. Grego-rius libro 5. *Epistola 44.* qui optimè norat Titulos Ecclesiasticos diuersos esse à fiscalibus: hi ergo vela erant, illi verò signum Crucis. Præterea Ecclesia dicta est Titulus; quia, qui eidem adscriberetur Presbyter, ab ea nomen Titulumque accipiebat, vt eius loci diceretur Presbyter (quod & hodie) inter Cardinales. Fu-sius hæc idem Baron. Tom. 2. *An-nalium anno 112.* Titularis ergo Ec-clesiæ

182. Comment. in Rubr. Breuiarij. Sect. VIII. Cap. V.

clesiae est ille Sanctus , à quo Titulus
seu Ecclesia denominationem habet.

2. Dedicatio vero Ecclesiae est ipsa-
met consecratio facta ab Episcopo, ut in
Pontificali, quæ ita recolitur quotannis,
ut natalis dicitur dies, ex sancto Leone
Sermone de Machabæis, dedicati tem-
pli, Bellarm. de *Cultu Sanctorum l. 3.*
cap. 5. De more antiquo fuit introdu-
cta, ex Eusebio lib. 9. *Histor. cap. 10.*
Festum autem Dedicationis dignius
est quam Sancti Patroni loci, seu Titu-
larij Ecclesiae, ut probauimus *Sectio-*
ne 3. cap. 8. num. 7. pag. 29.

3. Conueniunt in his. Sunt enim pri-
mæ classis; habent Octauam; celebrari
possunt infra Octauam Epiphaniæ;
item in Dominicis secundæ classis: in
eisdem, si Vigilia occurrat, nihil sit de
ea, nec etiam in Laudibus. Habent
primas Vesperas integras, etiam in se-
cundis Vesperis diei Octauæ Epiphaniæ,
Paschæ, Ascensionis, & Corporis
Christi, cum alijs priuilegijs Festorum
prime classis. Sed iam dicamus de sola
Dedicatione.

4. Si contingat dedicari Ecclesiam in
aliquo Festo ex solemnioribus, ne quot-
annis occurrentia duo Festa se inuicem
impedian, potest Consecrator decer-
nere alium diem ad celebrandū anni-
uersariam Dedicationem Ecclesiae; pu-
ta, vel diem Dominicū proximiorem,
vel alium adeò commodum, ut possint
Octauæ celebrari liberiūs, & populus,
præsertim rusticus, maiori frequentia
colere Festum possit. Translationem
vero eiusmodi à Consecratore posse
fieri ex iusta causa, decreuit sacra
Congregatio Rituum die 19. Februa-
rij 1, 85. vt refert Paulus Piascius in
sua Praxi part. I. cap. 5. n. 8. §. Diem.
& Congregatio item Cardinalium su-
per negotia Episcoporum, respondens

hac de re Episcopo Bissinen. die 14. Fe-
bruarij eiusdem anni, citato Spec. Con-
sil. 4. par. 3. Rubr. 52. Extra actum ve-
ro Consecrationis non potest amplius
mutari Festum, inconsulta sancta Sede
Apostolica: quæ 16. Octobris 1604.
iussit fieri de Dedicatione Ecclesiae in
ipsam die Nativitatis beatæ Virginis,
in qua accidit Consecratio; & duas
potius cattari Missas de duobus Festis,
seruata in reliquis Rubrica de Con-
currentia Octauarum.

5. Præter propriæ Ecclesiae Dedica-
tionem, celebrari quoque debet anni-
uersaria Dedicatio Ecclesiae Cathedra-
lis; in ciuitate quidem cum Octaua, in
Diœcesi sine Octaua, ex Decreto sacre
Rituū Congregationis 2. Maii 1619.
erit tamen in Diœcesi quoque primæ
classis Festum, instar eorum quæ
transferuntur ultra Octauam, & sine
Octaua celebrantur; vel vti Festum
Patroni loci, quod celebrari debet à
Regularibus, qui tamen non tenentur
ad Octauam celebrandam. Neque te-
nentur ijdem ad hoc Festum Dedi-
cationis Ecclesiae Cathedralis, nisi ex
quadam congruentia, & præsertim, si
populare sit Festum, non Cleri tan-
tum: ob rationem allatam suprà, cùm
de Patrono loci ageremus. Quod si
concurrant, seu occurrant Dedicatio-
num Festa, vel Octauæ, pro varietate
Orationum, sumi ea poterit, quæ assi-
gnata est ipsi diei Dedicacionis: quod
additum fuit Rubricæ in postrema
Breuiarij recognitione.

6. Occurrentibus autem Dedicatio-
ne propriæ, & Dedicatione Cathedra-
lis Ecclesiae, eodem die, quænam erit
celebranda? Rota Rom. Decis. 616.
num. 1. & per totum in recentior. par. 1.
definit, præferendam esse Dedicatio-
nen propriæ Ecclesiae: quare de hac
fiet

fiet Officium infra Octauam cum commem. Octauæ Dedic. Cathedralis, translato Festo altero in primam diem non impeditam. Neque dixerim, esse communia priuilegia hisce duabus Dedicationibus, quæ Dedicationi propriæ Ecclesiæ data sunt, nisi nouo Decreto fiant communia; puta, si occurrant infra Octauam Epiphaniæ.

7 Officium Dedicationis est Duplex manus apud Durand. lib.7.cap.1. cum Octaua, *ibidem*: vbi &c indicat Officium, quo nunc utimur, cap.48. Psalmos notans resonates portas, atria, & ædificia. Concordamus cum Breu. M. S. & edito 1550. quod est vici-nius Concil. Trident. & Pio V. resti-tuenti Breuiarium Romanum: neque Pius mutauit, nisi de more suo Lectiones primi Nocturni, ut essent de Scriptura, iuxta Regulam antiquam Ro-manam, ex Radulpho *Proposit. 11.* ad-diditque Lectiones varias pro tota Octaua, & Orationem propriam pro ipso die Dedicationis. Atque ex hac Octaua, quam non habent alia Sanctorum Communia, cum Lectionibus unicuique diei assignatis, colligitur eiusdem Festi excellentia & dignitas super alias Octauas Sanctorum, quæ celebrantur cum Lectionibus de Com-muni sumptis. De Antiphona & Psal-mo, *Qui habitat*, in 3. Nocturno, vide quæ diximus *Sect. 5. c. 7. n. 12. pag. 75.* Contra regulam communem Breuiarij, Responsorium breve ad Sextam non sumitur à secundo Versu Nocturnorum Matutini; quia hic Versus non potest diuidi in prima sua parte ut alij Versus, & ideo vice illius dicitur, *Locus iste*, &c. Habet alia de Dedicat. Eccles. in primo Tomo pag. 293.

De Officio B. Mariae in Sabbato.

C A P. V L

SAbbatum dicatum esse B. Vir-gini constat, & docuimus To-mo primo pag. 7. meminitque huius titus Microlog. cap. 60. & Urba-nus II. contemporaneus Micrologo in Concilio Claramont anno 1096. Offi-cium in Sabbato beatæ Virgini Decre-to suo destinauit, Radulph. *Propos. 20.* Non est ergo votiuuim, ut aliqui scri-pserunt, sed præceptuum, quod habet originem impropriè à voto Ecclesiæ, si votiuuim contendas esse.

2 Ritus Officij est ad modum Festi Simplicis, quod optabat Radulph. *ibi-dem*: nec tamen apparet, quo ritu tunc temporis Officium fieret de beata Vir-gine hac die; sed neque reperitur Offi-cium hoc in Sabbato in Breu. M. S. Et fortasse id causæ fuit; quia ante Pium V. tenebatur Clerus ad recita-tionem quotidianam Officij parui beatæ Mariæ, vñà cum Officio Domini: quam obligationem abrogauit Pius in Bulla ante Breuiarium polita.

3 Quare totum hoc Officium cum Lectionibus sanctorum Patrum sin-gulo mense pro varietate legendis, iussu Pij V. fuit compositum, & edi-tum. Clemens VIII. illud recognoui, mutata tantum Lectione pro mense Aprilis, quæ erat sancti Epiphanij, nunc verò S. Hieronymi.

4 Fit autem in omnibus Sabbathis non impeditis Officio quoad ritum di-gniori; quale est etiam Feria maioris, aut Dominicæ anticipatæ, quæ scilicet suum non habet locum, ut diximus *Sect. 3. c. 5. num. 9. pag. 25.* quam qui-dam nimis pij erga B. Virginem an-ticipare vellent in alia Feria, nimium amantes sui, ne Sabbati Officium reci-tent

01032